

ad Chronicon Marmoreum.

131

euntes, se conjungebant iis Pelasgis, Aboriginibus tunc dictis, quos diu ante ex Arcadia in hanc regionem duxerat ^m Oenotrus, cum iisque in unam gentem coalescentes Tyrhenicæ, Latinæ, & Romanæ genti præbuerunt originem.

Pelasgis, qui antiquissimi fuere Græciæ domini, sic victis & dissipatis, Græciam deinde ⁿ Deucalion, & posterius illius, ^o à Pelasgis & moribus & linguâ diversi tenuerunt, utrisque enim plane barbari fuere Pelasgi, nec in iis aliquid cum Hellenibus habuerunt commune: quænam autem fuerat quâ hi antiquitus utebantur lingua, à nullo autore indicatur. ^p Herodotus opinatur eandem esse, quâ postea loquebantur Crotoniatæ ad lacum Thrasymenum in Italia habitantes: sed cum Latina Gens, exceptis paucis iis, qui cum Ænea à Troja venerant, ^q ex solis Pelasgis tribus Colonis, prima scilicet ex Arcadia Duce Oenotro, secunda è Dodona, tertia è Pallantio urbe Arcadicâ Duce Evandro in Italiam ductis constitisset, quid prohibet quo minus asseramus, illam quâ antiquitus utebantur Pelasgi Latinam linguam fuisse, eamque quoad voces pure Latinas linguâ Græcâ ideo longe fuisse antiquiorem? Græca enim ^r lingua à Deucalione in Græcia prima habuit primordia, à quo, cum Græciæ Imperium expulsi Pelasgis adeptus esset, & à posteris illius ad devictas gentes propagata, sic tandem apud easdem obtinuit, ut omnes per totam Græciam, qui prius aliis utebantur linguis, hæc receptâ diu ante bellum Trojanum dedidicerent suas, omnes enim, qui isti bello interfuerunt, eadem linguâ utebantur.

Defuncto Deucalione, ejusque imperio inter filios diviso, illi in Thessaliâ successit ^s Hellen, ubi cum magnam adeptus esset potentiam, eam regionem à Græcio ultimo Pelasgorum Rege prius Græciam, & deinde à Pyrrha Deucalionis uxore ^t Pyrrhæam dictam, à suo nomine Helladem & incolas Hellenes appellavit. Græcos autem prius vocatos fuisse, qui ab Hellene Hellenes postea dicebantur, ^u Apollodorus iisdem fere, quæ in nostro Marmore habentur, testatur verbis. Hoc idem etiam tradunt ^x Aristoteles, & ^y Plinius: & ^z Isaacius Tzetzes in Scholiis ad Lycophronem dicit, Γραικοὶ πρότερον οἱ Ἕλλησιν ἐκαλεῖντο, ὕστερον δ' ἀπ' Ἑλληνιστὸν ἐκλήθησαν Ἕλληνες. Delirat igitur ^a Salmastius, qui contra tantam autoritatem ineptis tantum nixus conjecturis asserit contrarium. Aristotelis verba, quæ habentur in primo libro Meteorologicorum, hæc sunt, ὅθεν γὰρ οἱ Σελμοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλέμενοι τότε Ἰβὸν Γραικοὶ, καὶ οἱ Ἕλληνες. ^b Σελμοὶ Dodonæi erant prope fluvium Achelou habitantes: οἱ δὲ τότε (scilicet Deucalionis temporibus, ut ex præcedentibus apud Aristotelem patet) καλέμενοι Γραικοὶ Pelasgi fuere, qui à Deucalione victi ^c ad Dodonæos confugiebant, cum iisque eandem regionem incolebant, ibique, quod à Rege suo Græco habuerunt, καὶ Γραικῶν retinebant nomen; qui cum postea inde in Italiam transvecti Aboriginibus se conjunxissent, qui Latinæ genti præbuerunt originem, Regionemque, à qua profecti fuerant, retento semper antiquo nomine, quod illi ab eorum Rege Græco inditum fuerat, Græciam appellassent, inde obtinuit, ut tota ea Regio, quæ ab incolis Ἑλλάς, à Latinis Græcia semper vocaretur. Nec antiquum hoc Græcorum nomen in ipsa Græcia omnino abolitum fuit: qui Parium enim incolebant, Γραιῆς vocabantur. ^d Γραιῆς autem & Γραικοὶ teste Stephano Byzantino, eodem modo quo Græci & Graii apud Latinos, iidem fuere. ^e Oropus etiam Euboica urbs, quod ab antiquis Græcis forsan

^m Pausanias lib. 8. Dionys. ib. ⁿ Dionys. Hal. lib. 1. ^o Herodot. lib. 1. ^p Lib. 1. ^q Dionys. Hal. lib. 1. ^r Vide Salmastium de lingua Hellenistica, part. 2. cap. 1. ^s Strabo lib. 9. Eustathius in Scholiis ad Il. Homeri β, ver. 681. Dicæarchus, ὡς βίβη Ἑλλάδος. T. ucydides lib. 1. Diodorus Sic. lib. 4. Conon apud Photium narrat. 27. Rhiani Poeta fragmentum, quod extat in Scholiis ad ver. 1085. tertii libri Apollonii Rhodii. ^t Strabo lib. 9. ^u Lib. 1. ^x De Meteoris libro 1. in fine libri. ^y Lib. 4. cap. 7. ^z Pag. 84. Vide etiam Eusebium in Chronicis, & Servium ad secundum librum Æneid Virgilio. ^a De Lingua Hellenistica, part. 2. cap. 1. ^b Strabo lib. 8. Eustathius in Scholiis ad Homeri Il. x. ver. 233. ^c Dionys. Hal. lib. 1. ^d Stephanus Byzantinus in Γραικῶν. ^e Vide Eustathium ad Homeri Il. β. pag. 266, & Stephanum Byzantinum in Ὀροπέως.